ſtituerit, faveret Princeps optimus rem Vandalorum Duce haud indignam. Plura jam non addam, ſed mea tuis conjungam vota, ut DEUS pro ſua miſericordia etiam hanc linguam ſimpliciorem quidem & incultam, ſed procul omni dubio à Spiritu Sancto ad Eccleſiae aedificationem ſanctificatam etiam in his terris ad suum & Principis noſtri Electoris Vandalorum Ducis illuſtriſsimi honorem, nec non Eccleſiae incrementum conſervare dignetur. Benè in CHRISTO vale & dona DEI apud te torpere aut ſepulta eſſe ne committe THARAEE chariſsime. Dabantur Beſcoviae 27. Junij Anno 1609.

Tuus
M. Chriſtophorus Frencer
Paſtor & Inſpector. ||

pg ~~XX~~VIII 27 M. MARTINUS FABRICIUS Cathedralis Eccleſiae Furſtenwaldenſis Paſtor & vicinarum Inſpector, Domino ANDREAE THARAEO Muſcovienſi
S. P. D.

Legi praefationem tuam Germanicam, Divi Lutheri libello Catechetico, à te in linguam Vandalicam translato, praefigendam, eiusq; cauſa publico nomine tibi gratias ago, teq; rogo, ut hoc ſalutari laboris genere, univerſis Eccleſiis Vandalicis prodeſſe pergas. Certo enim ſtatuo, praeclaram laudem eſſe, ea, quae hactenus ad tuae tantum fidei commiſſae utilitatem praeſtitiſti, omnibus & alijs communia facere.

Si